




A. HELVETIUS.
DE FEBRIBUS.
1691








WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY



ADRIANI HELVETII,
Medicinæ Doctoris
Parisiensis,

METHODUS
FEBRES
OMNIS GENERIS
ITA CURANDI,
ut nihil ore assumendum exhibeatur,

è

LINGUA GALLICA,
quâ Galliarum Regi novissimè dicatur,
IN LATINAM
translata.



LIPSIÆ,
Sumptibus J. THOM. FRITSCHII,
Typis CHRISTIANI GOEZI.

A. M DC XCIV.



LUDOVICO XIV.
Galliarum & Navarræ Regi.

CUm novum Majeſtati Tuæ *exhiberem uſum, quem de Cortice Chinæ Chinæ quibusvis in Febribus certò debellandis, absque eò ut aliquid ore àſſumendum propinetur, detexi; Gratiâ Tuâ ad-*

eò clementer eum comprobâſti, ut ſpem oppidò magnam conceperim, non minùs publico eundem, ſi ultrò communicarem, gratum fore & acceptum. Quidni verò ab omnibus Tuis ſubditis benignè pariter exciperetur, ubi cognoverint, Inventi hujus evulgationem ipſius Majeſtatis Tuæ *paternæ deberi curæ, quam Clementia Tua vere Regia ſanitatis eorum gerere anhelat? imò eâdem Clementiâ ſummâ, qua* Majeſtas Tua *ægrotantes eos, qui Domûs Tuæ ſervis fortunatò annumerantur, cunctis ſubſidiis neceſ-*

necessariis sublevavit curæque meæ demandavit, mihi deinceps, ut meum divulgare remedium, quò nemo in Regnô Tuô usu ejusdem privaretur, imperâsti. Obsequium præsto, Domine, *non reverentiâ solùm & submissione omni, quâ Regis mei mandatis parere decet, sed & gaudiô singulari, quod Medicinam augere ac provehere in commodum valeam* Galliæ, *Virtutibus quæ Tuis Heroicis longè super regiones alias cunctas floret, quæque patria mea est vera, postquam* Majestati Tuæ *in civem me adsciscere*

placuerit. Ast libertatem unâ arripio à Tuâ Majestate *mihi concessam sub Augusti Tui Nominis præsidiô hoc, quicquid est, in lucem edere, cùm miram namque ex communicatione Specifici mei antidysenterici gratiam à Te reportaverim atque licentiam, totum per Regnum Laboratoria chymica erigendi, peræquum omninò est, ut nullus posthàc laborum meorum prodeat fructus, qui non jure Tibi consecretur, mihique non argumenti locò inserviat, palàm gratum æque memorem beneficiorum à Te in me collato-*

latorum declarandi animum, ac zelum, quô flagro ætatem omne id, quod à tenuitate meâ proficiſcetur; in ſervitium Tibi dicandi, qui ſum

Majeſtatis Tuæ

Subjectisſimus ac Devotisſimus Servus

A. Helvetius, D. E. M.



Methodus Febres omnis generis curandi.

Omnium Febrifugorum hactenùs cognitorum Cortex Chinæ Chinæ procul dubiò est præstantissimum.

Nullus habetur Medicus, qui dissentiat; neque specialis experientia, omni accuratione omnique sedulitate facta, idem edocuit. Verum est, quod in modò, quem hucusque tenuerunt eum exhibendi, multa occurrant incommoda; ideoque omnem meam contuli operam in tali perquirendô,

qui

qui ab omnibus hiſce incommodis ſit immunis, cujusque auxilio è dictô remediô admirandò, quicquid egregium eſt, poſſit acquiri, negligendò quod vitioſum.

Nullus ambigo, quin Medicorum ante me plurimi perveſtigationi huic incubuerint. Hinc namque tot diſcrepantes Chinæ Chinæ prodierunt præparationes, cùm adhibitæ, tùm etiamnum à triginta usque vel quadraginta annis quotidie totam per Europam adhiberi ſolitæ.

Alii corticem laudatum ſub formâ Infuſi propinant; alii in ſubſtantiâ: dantur, qui Tincturam inde eliciunt; nonnulli Syrupum præparant; alii in Extractô præſcribunt: unô verbô, in centum eum transmutant formas. Quibus nihilominùs cunctis nondum

obtinuêre, ut tali eum ratione, quæ omni ex parte ægrotis ſatisfaciat, exhiberent.

Certè poſt uſum ejus alter de ventriculi dolore gravativò vix ferendò, alter de pectoris alteratione conqueritur: hic extraordinariò inde afficitur calore, ille exſiccatur: & tandem obſervantur quotidiè, qui, etiamſi ex febre corticis adminiculò convaluerint, ulteriorem tamen ejus uſum conſultò reſpuant; ſive quod pathemata, de quibus queruntur, à cortice Chinæ Chinæ aſſumtò, ſive quod à præſcriptò aſſumendum inter proveniant regimine, quippe quod tantam revera poſtulat circumſpectionem, ut tempore uſus, neceſſariò diutiùs continuandi, error aliquâ in re committi queat facillimus.

Ut incommodum Chinæ Chinæ notiſſimum generalemque ægrorum omnium querimoniam omittam; præter ſpeciales hactenùs indigitatas querelas, quales ſunt, anorexia, nauſea &c. amaror imprimis nunquam à remedio hôc ori ingerendò, quâcunque etiam præbeatur ratione, poteſt auferri, tantò majorem moleſtiam gignens, quò magis neceſſitas omninò efflagitat, ut nauſeà non obſtante, quâ ægri à primâ ſemper doſi afficiuntur, impreſſio hæc ingrata quotidie aliquoties per ſex ad minimum ſeptimanas renovetur; ne de recidivis dicam, quibus ſingulis evenientibus uſus ejus reiterandus eſt.

Omnibus itaque circumſtantiis ejusmodi odioſis, remedium quæ memoratum ſolent comitari, pro-

bè trutinatis, modum demùm illud exhibendi detexisse mihi videor aptissimum; effectus inde laudabiles obtinendi molestiasque præcavendi omnes.

Nil aliud verô modus hic involvit, quàm ut Cortex Peruvianus applicetur sub Enemate.

Quem in finem convenit recipere Corticis Chinæ Chinæ optimi ac pulverisati unciam unam; hancque cùm aquæ tepidæ Sextariò sive Mensurâ dimidiâ exactè miscere, absque eò, ut aliquid desuper adjiciatur.

In Febribus intermittentibus Enema hoc sub paroxysmi terminum applicari terque quotidiè, ad perfectam usque reconvalescentiam, reiterari debet; cui tamen ut diu insistatur, nunquam est necesse, cùm rarò unus adhuc paroxysmus,

xyſmus, rariùs duo revertantur, ac ne ſemel quidem tres redeuntes obſervaverim.

In ſalubritatem reſtituti ſimilium clyſmatum uſum duodecim adhuc dies continuare tenentur, ita quidem, ut ſex diebus prioribus alterum manè, alterum veſperi, poſterioribus autem ſex diebus unicum ſolummodò manè adhibeant.

Quia omnis verò medelæ hujus cardo in eò vertitur, ut Enemata, quantùm licet, retineantur diutiſſimè, nihilominus verò reperiuntur, qui diu ea retinere nequeant, horum in gratiam pulveri Chinæ Chinæ unciam dimidiàm Syrupi papaveris albi, retentionem remedii absque moleſtiâ facilitantis, convenit addere.

In Febribus continuis clyſma, è forti Chinæ Chinæ Decocto, aquâ ſimplici factô, paretur, Chinæ Chinæ unciam adhuc unam admiſcendô. Quoad Syrupum verò papaveris albi, uſurpetur prout modò indigitatum.

Enema hoc ſub exacerbationis finem applicari debet; aſt ſi nulla exacerbatio adſit, eò detur tempore, quò Febris minorem impetum facit.

Dum autem in Febribus intermittentibus ter quotidie adhibetur, in continuis potiùs ſingulis horis quaternis id reiterare decet, donec æger à febre liberetur.

Qua ceſſante obſervandum, ut idem clyſma per duodecim adhuc dies ratione eâdem, ac ſuperiùs dictum, continuetur, i. e. ſex dies bis

quoti-

quotidiè, ſexque dies ſemel tantùm de die.

Atque remedium hoc hominibus cujuscunque conditionis, ætatis atque ſexûs convenit, modò doſeos Chinæ Chinæ differentia notetur.

Quantùm ad infantes lactentes, & usque quatuor agant annos, doſis Chinæ Chinæ duarum ſit drachmarum.

Ab ætate quatuor annorum ad decem usque, ea drachmarum ſit trium.

A decem usque ad quindecim, eadem unciæ dimidiæ ſit.

A quindecim ad viginti usque, ſex drachmarum ſit eadem.

A viginti usque ad ſexaginta, doſis integra unciæ unius ſumatur, etiam in fœminis gravidis; remedium

dium quippe absque agitatione ulla præternaturali operatur.

Qui nihilominùs temperamentò nimis debili visceribusque nimis sensibilibus gaudent, dimidiam tantùm dosin, i. e. unciam dimidiam, semper recipiant.

Notandum ab iis, qui Enema breviùs retinebunt, usum ejus diutiùs esse continuandum, quò major demùm numerus id efficiat, quod à quôvis in specie præstari non potuit, per consequens Curatio magis confirmetur; id quod de iis æque intelligendum, qui integram dosin, ac qui dimidiam, recipient.

Observandum pariter in iis, quibus somnolentia aderit febres malignas ordinariò concomitans, à Syrupò papaveris albi abstinendum esse, sed annitendum, ut

absque

absque hôc Enema diutissimè, quantùm licebit, retineatur.

E contrariò tenendum, in Febribus imbecillitate ventriculi stipatis unciam dimidiam Syrupi papaveris albi semper clysmati admiscendam esse, omittendam nunquàm.

Tandem annotandum, in morbis complicatis, v. g. catarrho pectoris, raptu humorum ad caput, pleuritide, vulnere quôlibet, similibusque, remedium hoc semper cum successu exhiberi & nunquam in febre profliganda deficere, talem successive dispositionem inducendô, ut reliquum faciliorem medelam admittat.

Præter summas abdominis tensiones nullum symptoma febris est, quod remedii hujus prohibeat usum.

Restat

Reſtat tantùm, ut commemorem ægrotos non minùs reperiri, qui enema prorsùs retinent nilque ejus excernunt, ac qui retinere illud minùs valent; atque his veſperi clyſma purgans convenit adhibere, cujus ope evacuentur facillimè. Ideò cavere quoque decet, cum clyſmata Chinæ Chinæ haud purgent, nec eum in finem præcipiantur, ne ægri cum nonnullis mirentur ac inquieti ex eò reddantur, quod bilis aliorumque humorum evacuatio, ſicut poſt enemata vulgaria, ſequatur nulla.

Ratione diætæ, nihil extraordinarii dictito. Æger nutriatur jusculis, quamdiu Febris affligit; qua ceſſante, moderatè comedat, nec ventriculum repleat, ea tantùm

tùm evitando, quæ digeſtioni vim inferunt.

Locò potus febre præſente ſit ptiſana, prolubitu ac palato à quôvis paranda. Inter omnes conſtat, radicem ſcorzoneræ cum cornu cervi in Febribus præferri malignis; radices acetoſæ, nymphææ, agrimoniæ, cichorii, graminis, &c. refrigerandi ergò uſurpari; bismalvam, liquiritiam, ſebeſten, jujubas, mel &c. pectori inſervire.

Ubi Febris diſceſſit, moderatum vini uſum iis haud denego, qui illud expetunt; axiomatum enim Medicorum optimum reputo, ut ægro occaſione quacunque, quantùm licet, ſatisfiat.

Si proin ægrorum nonnulli Febrium principiô Corticem Chinæ Chinæ in enemate æque ac ore aſſumere renuant, hoc juxta dictum axio-

axioma non modò probo, ſed & è contrariò peraptum videtur, ut in medela ſui periculum priùs venæſectionis ac purgationis faciant, cùm tale quid ſæpiſſimè ſuccedat optimè. Idcircò egregium hic communicabo purgans.

Ebulliant in librâ dimidiâ aquæ ſimplicis Tamarindorum uncia una, Foliorum Sennæ drachmæ duæ, Salis polychreſti drachmæ duæ, Caſſiæ extractæ uncia una, Mannæ uncia una ſemis, Cinamomi parùm, albumenque ovi unius conquaſſatum.

Poſtquam omne ſepties aut octies invicem ebullierit, ſucci citri addatur parùm, hinc ubi refrixerit per linteum trajiciatur; aſſumtò verò medicamento tribus poſt horis juſculum ſuperbibatur.

Qui-

Quibus in formulâ hâc aliquid mutare, addere, aut omittere placet, per me erit licitum; interim, modò rationem præſcriptam obſervent, medicinam ſemper parabunt gratiſſimam.

Si vomere pariter nonnulli expetant vomitusque reverà indicetur, quemadmodum febres dantur, in quibus is affligit hâcque ratione citra remedium aliud ceſſat, præparationem quoque omnium optimam ac tutiſſimam docebo.

Recipiatut Nitri depurati, Antimonii crudi, ana libra una; In ſubtilem redacta pulverem per cribrum ex carbaſo trajiciantur; Imponatur crucibulum carbonibus vivis, ac, ubi incanduerit, pulvis iſte cochlearibus parvis injiciendo detonetur; materia in fuſione per dimidiam relinquatur horam;

hinc

hinc ignis extinguatur & crucibulum frigefactum pro materiâ vitrificatâ eximendâ frangatur; cui materiæ subtiliter pulverisatæ duplum addatur cremoris tartari pariter pulverisati, exacteque invicem mixta per cribrum ex carbasò trajiciantur; trajecta in quantitatem aquæ bullientis, sali admixto dissolvendo sufficientem, immittantur; tùm aqua ebulliens per chartam bibulam filtretur; evaporata demum ad siccitatem usque sal suggeret omnium emeticorum citra controversiam excellentissimum.

Dosi octo granorum præbetur ad duodecim usque.

Ratio utendi in eò consistit, ut vitrum vini calefiat, parumque hujus in cochlear pulverem continens effundatur, ac deglutiatur; hinc

hinc parùm rursùs vini in cochlear instilletur pariterque deglutiatur, ne aliquid pulveris restitet; ac eodem tempore reliquum vini calidi hauriatur.

Ægrum post horæ quadrantem unum vel alterum vomitus stimulabit. Statim ac vomuerit, aquæ tepidæ magnum ipsi evacuandum est vitrum pro omni violentiâ evitandâ; id quod reiterabit, quousque vomitus ter vel quater continuetur. Tribus elapsis horis à pulveris assumtione jusculum porrigatur, ac diei residuum temperanter transigatur.

Cordialia autem longè à purgantibus & vomitoriis distant; etenim non solum approbo, quod in Febribus, si placet, usui Chinæ Chinæ præmittantur; sed & ipse ægris præcipio, ut, præscripta enemata adhi-

adhibendò, in uſum ſimul eadem, vocent, non quod ſimpliciter ad reſtitutionem eorum ſint neceſſaria; ſed quod mirandam præbeant utilitatem in confortandò, affectibus cordis diſſipandis, ac capitis doloribus ſedandis.

Potio cordialis, quam in Febribus intermittentibus commendo hauriendam, præparatur ex aquæ Cinamomi uncia una, aquæ borraginis, nucis, meliſſæ, ana unciis duabus, cōfectionis alkermes drachmis duabus, ſyrupi limonum vel granatorum uncia una ſemis, miſcendò omnia invicem guttulasque aliquot ſpiritûs ſulphuris ad gratam usque aciditatem addendo.

Quæ potio ſuavi gaudet ſapore, ſingulis horis quoad cochlear unum vel alterum capienda.

Quorum Febres intermittentes im-

imbecillitate ventriculi aut vomitu ſtipantur, in uſum iis cedere poterit potio cordialis ex aquæ plantaginis & polygoni ana unciis quatuor, diaphoretici mineralis, cornu cervi præparati ana ſcrupulis duobus, confectionis de hyacintho drachmis duabus, Diacodii, Syrupi Cydoniorum ana unciâ unâ; quæ invicem mixta æger eodem, ac anteà dictum modô, horis ſingulis poterit capere.

Intuitu Febrium continuarum & malignarum, Potio cordialis à me tunc præſcribenda, pro ſanguine depurandò ac malignitate per blandam eliminandâ tranſpirationem, componeretur ex aquæ theriacalis unciâ unâ, aquæ ſcorzoneræ, carduibenedicti, ſcabioſæ, ana unciis duabus, pulveris viperarum ſcrupulò unô, bezoardici mineralis ſcrupulis duobus, theriacæ drach-

mà dimidià, confectionis de hyacinthò, alkermes ana drachmà unà, ſyrupi florum tunicæ unciâ unâ; omnia invicem, uti antea, miſcendò.

Quales potiones cordiales non poſſunt non optatum edere effectum. Qui in locum pulveris viperarum ſurrogare volunt ſal harum volatile ac bezoar animale, copiâ rerum ſuppetente febrisque malignitate urgente, cujuslibet grana decem vel duodecim poterunt adjicere.

Dum medicina itaque pathematis moleſtis, Febres maximè malignas & periculoſas plerumque concomitantibus ſic affertur, cortex Chinæ Chinæ in enemate adhibitus fermentum febris unicè deſtruendo adeò promtè operabitur, ut æger gratâ inde admiratione per-

perculſus utilitatem enematum, de quibus in præſenti agitur, cuivis ſit deprædicaturus.

Hâc ratione Chinam Chinæ exhibendi omnia evitâſſe videor incommoda, vulgarem hactenùs eandem præbendi modum ſtipantia.

In propatulò eſt, nullum amplius ab ægrotantibus percipi amarorem, cum corticem ore haud aſſumant.

Liquet pariter, ventriculum eorum exin non gravari, quod in ventriculum recipiatur minimè.

Reſpectu caloris, certum eſt, craſſiores Chinæ Chinæ particulas unicè hunc excitantes haud diutiùs in corpore morari, quàm volatili tantùm ac ſalutari à calore naturali digerendo requiritur, cùm fæces reſiduæ ſtatim excretæ o-

mnes eas haud emetiatur vias, quas cortex ore aſſumtus percurrit; adeoq́ue non poſſe non magnum in corpus ab utili relictò retundare commodum, absque eò, ut à particulis ejus gravioribus, intricatis, noxiisq́ue calorem concitantibus, de quò tantum querelarum habetur, patiatur unquàm.

Ægris tantummodò, quibus ſunt hæmorrhoides, dolor aliquis ex enematis applicatione ferendus eſt; ob irritationem à pulvere tranſeundum inter factam. Horum ingratiam ſuadeo, ut doſis imminuatur pulverisq́ue uncia ſolùm dimidia addatur, aut Chinæ Chinæ tantùm recipiatur decoctum ſatis forte, nullum inferens dolorem, valetudini æque nihilominùs conducens; hoc ſaltem diſcriminis intercedit, quod clyſma tale pluris

veniat,

veniat, quia major Chinæ Chinæ requiritur quantitas, eò tamen lubentiùs id hîc annoto, quò magis personis cujuscunque conditionis, decoctum forte ipsi pulveri præferentibus, esse possit ex usu; licet revera, ni causa majoris obstet momenti, v. g. hæmorrhoides, ipsam Chinæ Chinæ substantiam pluris faciam: ac pro certô affirmare valeo, tribus abhinc annis, quibus modum istum Chinam Chinæ exhibendi detexi, me in substantiâ eam in ægrotantibus cujusvis ætatis ac sexus, duo millia excedentibus, adeò feliciter usurpasse, ut nullum inde incommodum perceperint unquam, quocunque etiam enematum numerò ingenti essent usi, nonnullis quippe copiosiora horum adhibenda fuerunt, quàm aliis, ob recidivas ex febrium ma-

lignitate ac pervicaciâ extraordinariâ perpeſſas.

Nec dubito, quin uſus hujus remedii talis poſthac deprehendatur, eoque pendatur pluris, quò magis Medicis innoteſcet; quin aſſerere audeo, multum apud ægros me initurum eſſe gratiam, quod viam ipſis ad ſanitatem recuperandam aperuerim multò faciliorem, commodiorem ac tutiorem iis, quæ hucusque fuerunt tritæ; quem enim fugit, infinitos ideò mori ægros, quod corticem Peruvianum ore aſſumere nequeant? & quemadmodum pariter dantur, qui ab aliorum quoque ſalutarium medicaminum uſu internò naturâ abhorrent, ita ratio hæc ſub enemate exhibendi id, quod deglutire recuſant, ad uſum accommodabitur longè crebriorem, quàm quidem

dem primùm videtur; forſanque olim fatebuntur, nonnihil à me ad medicinæ perfectionem eâ ipsâ fuiſſe collatum.

Quoad medicamenta antidyſenterica voto jamdum fortuna reſpondit; poſtquam multi enim occurrerent ægroti, quorum teneritas prohibebat Specificum meum deglutire, quoniam vomitum provocat, ſub enemate idem optimò præbui ſucceſſu.

Qui exhibendi illud modus primario Regis Medico communicatus, oppidò approbationem hujus meruit, æque ac ille, quô China pariter Chinæ applicatur; inter omnes autem conſtat, quanti ponderis ejusmodi inſit approbationi.

Curam verò integram longè promtiùs hâc ratione perfici

quàm ſi cortex aſſumatur ore, ratio eſt in promtu.

Primùm videlicet quantitas ejus multò ſic major præbetur, quam quæ in os queat ingeri.

Deinde in ſubſtantiâ ſemper datur, per conſequens, majore pollet virtute.

Tùm particulæ ejus ſubtiles, unicè in febris fermentum agentes hujusque ebullitionem ſedantes, ad maſſam ſanguineam per vaſorum oſcula, copiosè in inteſtinis defixa, feruntur facillimè; prout juſcula ſub enemate data eàdem promtitudine ad ſanguinem, ægrorum nutriendorum gratiâ, obſervantur tranſire, itemque tabaci clyſmata vomitûs movendi ergô particulas ſubtiles promtiſſimè circulationis ope ad ventriculum transmittere deprehenduntur.

Et

Et tandem ipſa experientia curam hanc expeditam prorſus tutamque comprobat; omnium quippe febrium pertinaciſſimæ, in quibus remedium hoc adhibui, non niſi binis acceſſibus reſiſtere valuerunt; quodſi exempla cuivis nota deſiderentur, ægri ex mandatò Regis curæ meæ Verſaliis concrediti teſtimonium perhibeant authenticum omnique exceptione majus, ceu quorum nomina ideò atque conditiones unacum morbis & ſymptomatis ſequuntur adſcripta.

Inſpectrix Xenedochii, à charitate denominati, recidivam febris tertianæ duplicis continuæ patiebatur unà cum Cephalalgiâ inſigni humorumque ad caput raptu tempore exacerbationis.

Hurant unus e militibus extubias Regias agentibus, triginta annos natus, febre decumbebat tertianâ duplici, cephalalgiâ & nephritide exquifitis ftipatâ, cujus paroxyfmi cum horrore invadentes duodecim ad minimum horas perfifterent, fudoreque femper copiosò vires infigniter enervante, terminarentur.

Gueri miles ex Regis cuftodibus quadragefimum octavum ætatis annum agens, quindecim jam dies à febre tertianâ duplici continuâ corripiebatur, cephalalgiâ fummâ concomitante, unacum omnibus translationis humorum ad cerebrum fignis.

Varenne unus pariter è militibus, qui excubias Regias agunt, quadraginta quinque annorum, per biduum febri laborabat tertianâ duplici,

plici, cum diſpnœâ, inquietudine ac cephalalgiâ.

Caſe miles, itidem in cuſtodiâ Regis occupatus inque trigeſimò quintò ætatis annô conſtitutus, duodecim jam dies febri tertianâ duplici ac catharrò pectoris periculoſiſſimò languebat.

Langlois quidam à ſtabulò majori annum ætatis agens vigeſimum ſeptimum, febri continuâ ſeptimanam jactabatur cum exacerbatione, nauſeâ, vomitu humorumque ad caput raptu.

Chiſtal quidam, Domini Abbatis de la Roche Rhedarius, viginti annorum, dies quinque tertianâ tentabatur febri ac tempore paroxyſmi, duodecim horas affligentis à continuis vomendi conatibus caloreque accerrimò humorum

raptum ad caput minitante, vexabatur.

Jenot quidam, in viridariô de Trianon ſerviens, viginti ſex annos natus, ex febri tertianâ duplici continuâ cum vigiliis & deliriis ægrotabat.

Creſpin quidam Ducis Burgundiæ pediſſequus, annum ætatis decimum octavum agens, à febre continuâ ſex dies prehendebatur cum vomitu periodicò, cardialgiâ & lipothymiâ.

Valerius quidam, Helvetius ſatelles, triginta quatuor annorum, tertianâ dies viginti affligebatur febri, cujus paroxyſmi viginti quatuor horas durarent, vomitu inſigni ac cephalalgiâ vix ferenda inſequentibus.

S. Germanus quidam à ſtabulò majori, trigeſimum ætatis agens an-

annum, à febre continuâ cum delirio & inquietudine viginti ſex dies torquebatur.

Ægri, quibus remedium meum in Xenodochiô à charitate dictô per Dominum Regnaltium Pharmocopæum Pariſienſem curavi exhibendum, quibusque Vir hic totô morborum curſu ideò adſtitit, reſtituti omnes absque ullâ recidivâ fuerunt usque ad duos, qui recidivam paſſi denuò debuerunt curari.

Porrò filius Simonis Rhedarii Regii è ſtabulò minori, ſedecim annos natus, febri tertianâ duplici viginti dies decumbebat.

Cubicularius quidam Domini Cantini febri tertianâ laborabat.

Lapierre, Cubicularius cujusdam Regio Veſtiario Præfecti, febre tertiana duplici ſeptimanas

duas detinebatur: omnesque ſymptomatis afficiebantur æque periculoſis, ac quorum modò mentionem injeci.

Supervacaneum videtur alios hic producere ægrotantes de quibus integrum librum ſine negotiô liceret contexere; verùm, promulgatione remedii à Rege factâ, adeò multi jamdum occurrunt, qui ſua ſponte hâc ratione reſtituti verba pro me faciunt, ut pluribus allegandis exemplis meritò ſuperſedeam.

Ex hactenùs tamen dictis colligendum minimè, quod ope Inventi mei aliquem immortalem reddere præſumam; Nullum verò dubium, quin multa ſic pathemata præcaveantur, febres diuturnas inſequi aliàs ſolita, itemque abuſus venæſectionis, non ſolùm morbum

bum protrahentis, ſed & ægros multos interficientis, obſervetur facillimè.

Non quod ſanguinem ſemel, bis, imò ter in plethoricis mitti, aut venam etiam pedis ſecari, quando humorum raptus ad caput metuitur, præfractè ac ſine ratione repugnem, hiſce quippe venæſectionibus non minùs contradico, ac remediis aliis, quæ à Medicis deprehendentur indicata: Sed quod odioſum ſanguinis miſſionis numerum, vires ægrorum omnes exhaurientem & non niſi ex conſuetudine ordinatum, ferre nequeam, in febri cumprimis triduum intra vel quatriduum ad ſummum absque ullius ſanguinis guttulæ jacturâ curandâ.

Cæterùm vellem inventum hunc Chinam Chinæ exhibendi mo-

modum ab omnibus, prout omnibus proderit, excipi benignè, atque ſatis præmiorum tuliſſe videbor ab operâ diutiſſimè ideò inſumtâ ſtudiòque aſſiduo triennium ejusdem examini propterea dicatô, ut emolumentorum primùm perſpectorum certior factus fructum hunc laborum meorum communicarem, ſusque deque habendò invidiam nonnullorum, qui maculam arti inurendò Medici ſalutari haud merentur. At ſicut à beneficentiâ nunquam abſtinendum propter imbecillam eorum invidiam, qui non niſi facta propria ſolent approbare, ita nec ego deſiſtam omnem reliquam ætatem iis perveſtigandis lætè impendere, quæ hominum ſanitati conſervandæ vel recuperandæ conducere queunt. Infallibile in-

terim

terim remedium nunc propositum adeò certò polliceri licet, ut non verear asserere, nunquam id in febribus, cùm continuis, tùm intermittentibus, modò methodus mea exactè observetur, esse frustraturum.

Unicus tantùm excipitur casus, in quò China Chinæ hâc ratione exhibita febri extinguendæ deprehenditur impar; nempe quando abscessus ullibi in corpore habetur. Quamobrem tunc ut pessimum signum semper attendendum, ne febris sistatur. Præter hunc quippe casum successus pro certò ac compertò asseveratur.

Calamum hic seponere nihilque ampliùs addere erat animus, cum intelligerē, quam modò commemoravi invidiam, quamque simpliciter in eô terminaturam esse,

reputabam, ut enematis Chinæ Chinæ denegarent approbationem minùs necessariam, adeò modum nunc excedere, ut observationes falsas narrandò remedium hoc penitꝰ subvertere nulli vereantur, haud contenti fructum mihi eripere, quod aliquid boni detexerim, nisi & publicum utilitate ex inventò meô colligendâ defraudarent; passim namque, ubi aures præbentur, à Chinæ Chinæ clysteribus in nonnullis ulcera, in aliis intestinorum abscessus, in aliis fistulas, in gravidis abortum, sexcentaque pathemata similia excitari disseminant.

Quam insulsam calumniã rationibus quidẽ omni exceptione majoribus in proclivi esset retundere; etenim si verum, quod e. g. China Chinæ in substantiâ deglutita non

nisi

nisi symptomata superiùs recensita inferat, quomodo sub enemate adhibita tot accidentium horrendorum erit autor, cum in nullâ tunc corporis parte tenerâ moras nectat, quas ore assumta facere tenetur.

Nec ullum Medicorum fugit, emeticum aliquod ore sumtum potentissimum esse remedium, ejusdemque nihilominùs dosin triplam sub enemate adhibitam mediocriter saltem operari; unde satis elucescit, remedium aliquod sub enemate applicatum violentiam longè minorem, quàm in os ingestum, exerere.

Etiamsi porrò China Chinæ in omnes particulas, è quibus constat, resolvatur, nunquam tamen tales prodibunt, quæ intestina valeant lædere.

Aſt Calumniatores ejusmodi ab ignorantiâ inflatos armis magis palpandis ideoque robuſtioribus impugnabo, quàm rationibus: in medium nempe proferam obſervationes, exempla, & experientias tùm infantium, tùm fœminarum gravidarum; ſi veritate namque nititur, quod ab iſtiusmodi enematis acerba poſſint patrari pathemata, ſine dubiò in teneris ac debilibus id fieret infantibus; ſi abortus pariter provocaretur, de hôc gravidis, in uſum quæ ea vocarunt, deberet conſtare; nemoque earum perſonarum mox nominandarum auxiliô enematum laudatorum integram valetudinem, prout nihilominùs factum, recuperâſſet.

Domina de Caſtello, Domini Mareſchalli Bellefontii filia mi-

nor,

nor, octodecim menses nata, à febre clysmatum duodecim ope evasit salva.

Infantium Domini Marchionis de Saint Germain Beauprè alter octennis à febre tertianâ duplici & malignâ cum convulsionibus exagitatus, alter duodecennis febri tertianâ duplici laborans, cujus paroxysmi horas octodecim affligerent, ab usu enematum triginta quinque perfectè convaluit uterque.

Filium Domini Marchionis Novionensis trimulum, febris tertianæ duplicis paroxysmò quindecim horas oppressum, clysmata paucos intra dies restituerunt.

Filius Domini Nicolai Præsidis primarii viginti menses natus, cum febri continuâ langueret atrocemque ob colicam dies noctesque eju-

ejularet, eàdem ratione propediem convaluit.

Filius Domini Marchionis Lavernii anniculus, ex febri tertianâ duplici vehementiſſimâ cum doloribus abdominis continuis & alvi dejectionibus frequentibus decumbens, medelam in duodecim clyſteribus invenit.

Filia Domini de Beloy Conductoris generalis menſem agens decimum octavum, ab innumeris febris tertianæ duplicis inſultibus ultimas in anguſtias conjecta, poſt viginti circiter clyſmata adhibita, emerſit optimè.

Filius ſemeſtris Domini Coipel, Pictoris ordinarii Ducis Aurelianenſis, febri tertianâ cum pectoris catharrò infirmus, ex enematis viginti vegetam recuperavit ſanitatem.

Filia

Filia trimula Domini Beinval, Hipparchi Comitis Alvernis, menſem jamdum febre tertianâ duplici laborans, cujus paroxyſmi perſiſterent diutiſſimè, valida poſt decem vel duodecim clyſmata ſurrexit.

Filius octennis Dominæ de Gaſſien, Domini de Gaſſien Parlamento à conſiliis viduæ, ex febre continuâ cum exacerbationibus, nec non colicâ ac ventriculi imbecillitate, poſt enemata octodecim adhibita convaluit.

Filium ſeptennem Domini de Logni in plateâ gypſariâ à febre malignâ, ſingulis ſex horis vehementer ingraveſcente, clyſmata quinquaginta prorsùs liberârunt.

Filia quinquennis Domini de Lamet, Regi à ſecretis, ex febri tertianâ duplici, cujus inſultus octo-

decim

decim horas durarent, ope clysmatum viginti duorum ſalva evaſit.

Filium trimulum Domini Colar, Secretarii Regii, febri continuâ octo levârunt enemata.

Filium Domini Bertrantii, Regi à ſecretis, dyſenteriâ non minùs ac febri continuâ laborantem, primùm à dyſenteriâ Specificum meum, hinc à febre ſedecim enemata vindicârunt. Circa quem attendendum, ſi quæ impreſſio à clyſmatis his fieri poſſet, eam haud dubiè in notatâ pathematum complicatione apparuiſſe; neminem quippe latet, inteſtina à dyſenteriâ admodùm deprehendi debilitata & perquàm apta impreſſioni cuivis perverſæ recipiendæ, inteſtina videlicet ipſorum adultorum robuſtiſſi-

bustissimorum, tantoque magis intestina infantium tenella.

Filium trimulum Domini Audiger, rationibus cognoscendis Præfecti, agnatum Domini Hermantii Medici, morti jam proximum ejusmodi clysmata servârunt, quamvis secùs sentiret repugnaretque Dominus ejus consanguineus.

Filia septennis Domini Huglas in plateà Burdegalensium, animam jamdum plures dies ex febre continuâ cum catarrhô pectoris agens, solô hôc remediô restituta fuit, triginta circiter enematis adhibitis.

Filio octenni Domini Michalet Bibliopolæ, ex febre tertianâ duplici, cujus paroxysmi vehementissimè ac diutissimè affligerent, sex

ſeptimanas decumbenti, clyſmata octodecim fuerunt ſaluti.

Filium quadrimulum Domini Malet mercatoris in montis martyrum plateâ, plures jamdum dies ex febre continuâ moribundum, ſedecim juvârunt enemata.

Filia quinquennis Priou cujusdam Rhedarii defuncti Domini Voiſin Conſiliarii Status, febrem malignam cum humorum raptu ad caput catarrhôque pectoris paſſa, relicta & moribunda, cùm vocarer, ab uſu quadraginta enematum omninò convaluit.

Gravidas quod attinet, Domina Comitiſſa Flamanvillana ſex menſes gravida febreque tertianâ duplici continuâ correpta, poſtquam Chinam Chinæ omni præparatam ratione aſſumſiſſet ore, Febris nihilominùs quotidiè ingra-

ingravescerer omnemque ægra spem abjiceret, me demum suasore clysmata Chinæ Chinæ eò successu adhibuit, ut in vitam revocata fœtum terminô absolutò eniteretur felicissimè.

In consilium duobus circiter abhinc mensibus â Domino des Forges Obstetricatore celebri unà advocatus, ut Dominæ de Bellecour, Domini de Bellecour Quæstoris uxori, temperamento mollissimo gaudenti sexque septimanas febri tertianâ, primùm simplici, hinc duplici, laboranti ferrem auxilium, cùm multum Chinæ Chinæ deglutitum inducias quidem fecisset, febrim tamen omnem haud expugnâsset. Exposui Domino des Forges blandam enematum Chinæ Chinæ operationem: consentiit: ac fœmina eo-

rum adminiculo in ſanitatem reſtituta.

Quæ teſtimonia abundè iis ſatisfacere poterunt, quorũ de clyſmatis Chinæ Chinæ edoceri intereſt. Terminum reperirem nuſpiam, ubi curas ſingulas à me factas occiperem enarrare, Lectorisque patientiâ omninò abuterer. Numerum tantùm hunc exiguum adduxi, fraudibus iis detegendis viſum perneceſſarium, quas inſomniis ègregiis verbisque viro quôvis bono indignis publico nituntur facere.

Perſonæ quæcunque à me allegatæ omnibus noteſcunt: quilibet ſciſcitari eas poterit ſine negotiô, ac de præſtantia & innocentiâ remedii adeò utilis omninò conſtabit, ut obtrectatores proin iniquitatis propriæ, qua veritatem

homi-

hominum ſaluti adeò proficum ſupprimere geſtiunt, meritò pudeat ſit neceſſe.

Si Medici dantur hôc in paſſu ſatis improbi, fatendum ingentem quoque eorum numerum Pariſiis haberi, qui pro me loquantur, qui in honorem mei clyſmata ejusmodi approbent, qui eadem ſuis præſcribant ægrotantibus, quique ſucceſſum eorum proſperrimum experiantur.

Si nonnullis forſan adhibita minùs ſatisfecerunt, contigit id ſine dubiô, quod modum meum iiſdem utendi vel ignorârint, vel obſervârint minimè. Aſt valdè dubito, ab aliquò Medicorum, vel quocunque aliô, ullum ægrorum methodô hâc per triennium à me tractatorum poſſe ſiſti, qui fiſtulam aliave pathemata, quorum reme-

dium insimulatur, contraxerit. Minùs est negotii dente maledicô carpere falsasque historias supponere, hoc tamen ut credatur haud sufficit, sed asserta demonstrationibus oportet roborentur.

Nemo nescit enemata hic proposita ægrotis quamplurimis, animam jam agentibus, exhibita fuisse. Multi ægrorum horum incolumes evaserunt; nonnulli obierunt, neutiquam ob perversam remedii istius operationem; sed quod naturæ debitum nobis solvendum sit omnisque opera ludatur, quando de vitâ migrare jubemur à Deo.

Superiùs jamdum innui, neutiquam mihi propositum esse immortalem aliquem hâc methodò reddere. Quia obstringo neminem, ut eâ utatur; rationem tantùm

tùm officii eandem divulgando persolvo, usum concedens, quibuscunque hic videbitur commodus. Quodsi curationes, quarum in gratiam methodus ista adhibetur, minùs promtè succederent ac multò plus negotii requireretur, ut vocaretur in usum, minùs propterea traduci meretur.

Interim ubi nonnulli Chinam Chinæ sub clysmate pariter usurpare atque in os ingerere prorsus renuunt, hisce consilium meum petentibus remedia alia æque certa & æque tuta exhibebo.

Pauperes quod concernit me invisuros, omnes quotidie totum per annum benignè excipientur, æstate videlicet ab horà quintà matutinâ & dimidiâ usque ad sextam & dimidiam, & hyeme ab hora septima matutina ad octavam usq;:

auscul-

auſcultabo eos, attenteque examinatis remedia gratis præbebo, non febribus ſolùm & dyſenteriæ, ſed & morbo ad unum omni appropriata; id quod notandum fuit, ne certorum pathematum pudor deterreat quenquam impediatque medicationem eorum apud me quærendi.


Methodus hæc jam typis erat deſcripta, cùm Dominus de Rouviere, ex meritis non minùs quam Theriacæ compoſitione omnium elegantiſſimâ famigerabilis, literas mihi traderet à Doctiſſimo Domino Fouet ad ſe exaratas, quarum ſummam hic exhibendam ſuaſerunt amici, quod teſtimonium publicum perhiberet tantò præſtantius, quò celebrioris eſſet Viri minimeq́; à me emendicatum. En extractam eam de verbo ad verbum.

Sum-

Summa literarum
à
DOMINO FOUET,
Consiliario Medico Regis & Aquis Vicensibus Præfecto,
ad
DN. de ROUVIERE,
Pharmacopœum Regis
datarum.
Vici d. 30. Novemb. 1693.

QUando obviam habes Dominum Helvetium, meô ipsi nomine gratias persolve, quod febrium medelam ope Chinæ Chinæ sub enematis perficiendam invenerit, nunquam enim ea me fefellit; & priusquàm revertantur, reitero, aut ad minimum reiteranda jubeo clysmata optimô cum successu. Posteri multùm debebunt Domino Helvetio. Cura ultima successit in fœminâ septuagesimum secundum

cundum ætatis annum agente, quam febris quartana duplex ſiti inextinguibili, vigiliis, anorexiâ viriumque maximâ debilitate ſtipata corriperet, & febri quidem continuâ ſex ſeptimanarum prægreſsâ: unô verbô, medela hæc toti pariter familiæ atque ægrotæ ipſi locò incantamenti fuit. Quodſi ſcriptum aliquod de eâ in lucem edat, ut mihi compares, quanticunq; conſtet, rogito.



Ne

Ne pagellæ vacuæ relinquantur, propter materiæ affinitatem

MURALTI

OBSERVATIONEM,

tantò magis commodum fuit visum addere, quod internum Corticis Chinæ Chinæ usum declaret.

NObilis Domina matrona à Montespin ætatis suæ A. 72. cum sub finem Augusti duplici tertiana afficeretur, jamq; multos Paroxysmos passa esset sine ullo solatio ex remediis methodicè institutis, à Medico ordinario Domino Redi, doctissimo viro mihique amico, quin imò symptomata ingravescerent, exhauriebantur enim vires, Lingua erat nigricans, febris ardebat summâque inquie-

tudine afficiebatur Patiens, in hoc ſtatu quorſum nos verteremus neſcientes, initô unâ conſiliô ad Pulverem corticis Peruviani confugimus, ipſique ℨß. prædicti pulveris cum conſerv. cynorrhod. quo tempore remittebat febris, exhibuimus, mirum quantum Levaminis exinde habuerit, ceu enim hoſte in ipſis faucibus jugulato, Paroxyſmus cohibitus eſt, deferbuerunt humores, intermiſſoque uno aut altero die eccoproticum exhibuimus ad reliquias morbi exterminandas, iterumque oggeſto bolo uti prius, febris penitus exulavit, viresque & ſanitatem recuperavit.

Filia Domini Sæigneux 8. annorum circa medium Septembris multis jam divexata Paroxyſmis à variis remediis nihil profecerat, ipſius autem parens propter inſignem

gnem amorem, quo ipſam amplectebatur, mœſtus à me conſilium expoſtulabat, ipſi gran. XV. hujus Pulveris in juſculo exhibui, Paroxyſmi ſubſequuturi exinde inhibiti ſunt viresque & appetitum reſumebat, verùm poſt intermiſſionem 20. circiter dierum iterum recruduit febris, pro reditu autem de novo oggeſto pulvere penitus circumciſa eſt febris, nec amplius rediit. Franciſcus Bernard, ſartor, temperamenti melancholici, ſub finem Auguſti duplici tertianâ correptus fuit cum magnis ſudoribus, appetitu dejecto, phlebotomia celebrata eſt inſtitutaq; Purgatio, cùm autem poſt 15. circiter dies nullatenus curá methodicè inſtituta febris imminueretur, ſuſpicioq; adeſſet, ne in longum protraheretur propter tertianam febrem tunc

 tem-

temporis epidemicè grassantem, qui enim affectus simplices & sporadici contingunt in cœlo noxio, facilè Labem sparsam sibi asciscunt, bolos devorandos ex ʒß cum s. q. rob. Juniperi exhibui tempore intermissionis, ex quo in totum remisit febris: Verùm post mensem circiter recrudescente, purgatio iterum instituta est, bolique iterum oggesti, ex quo febris in totum ablegata est.

Sub eodem tempore mulier 55. circiter annorum febre quartanâ correpta est, ipsi dosin nostrarum Pilularum per 15. dies exhibuimus quibus epicrasticè repurgata, bolos ipsi dedimus ex pulvere Peruviano cum conserv. Juniper. per quatuor vices, febrisque exinde liberationem assecuta est. In immensum excresceret volumen, si quas

curas

curas hocce pulvere noſtrâ expe-
rientiâ alienaque factas deſcribere
ſatagerem, ipſius enim Pulveris vis
& energia in debellandis febribus
jam agyrtis ipſisque mulierculis in-
notuit. Verùm tamen etiamſi in-
ſignis efficacia ſe prodat in febres
componendas, dantur tamen quæ-
dam febres quæ ipſius vires elu-
dant; ſed jam properemus ad Scho-
lium in quo ipſius pulveris natu-
ram examinabimus.

SCHOLIUM.

CUm in omnibus febribus ferè, ſed maximè intermittentibus pleone-
xiæ cacochymiæque ſigna vulgariter ſe
prodant, nullatenus dubitandum, Phle-
botomiam tùm & Catharſin in ipſarum
curatione ſuas vires præ cæteris inpri-
mis exercere, quin imò vix abſque iſtis,
fauſtis auſpiciis alia remedia tentari ſo-
lent;

lent; Enim verò febrilis calor, ardores, dolores capitis, anxietates, jactationes, deliria, anhelositas; sitis, aliaque accidentia nullâ ratione certius mitescunt quàm sanguinis missione, quæ nimirùm vias reserat, fluiditatem humoribus impertit corpusque εὐρόον facit. Nec minùs evidenter cacochymiæ signa se produnt, enimverò oris amaror, pondus supra ventriculi regionem, nausea, vomitus, appetitus dejectus, anorexia, inflationes, ructus, crepitusque aliaque non pauca tam certò illud arguunt, ut non sine veritatis specimine febrium intermittentium causam circa præcordia stabulari multi non infimæ notæ affirmaverint. Itaque quamvis huicce sententiæ in totum non adstipulemur, credamusque febrium mineram quandoque altiùs & intra vasa nidulari, nihilominus tamen nec auspicatò magis nec certiùs quàm istis duobus generalibus præsidiis ipsarum medelam suscipi confidenter asserimus, naturam enim ab in-

farcti-

farctibus expediunt, humores extraneos elutriant, tamque efficaciter quandoque munera sua præstant, ut sine aliorum auxilio febres abigant radicitusque extirpent, itaque ab iis recto ratiocinii jure experientiâque duce febrium intermittentium imprimis curationem auspicandam censemus, si enim iis eam in totum assequi non liceat, saltem per eam submoventur impedimenta, viæ reserabuntur, ut alia remedia adhibenda in posterum opportuniùs vires explicent, efficaciusque suum opus peragant.

Ista itaque duo præsidia huicce cortici Peruviano necessariò præmittenda, proque cujusvis Patientis temperie, ætate, sexu, tempestate, viriumque modulo ordinari debent.

Sub Catharsis nomine audiant vomitoria quæ si nihil contraindicat, inprimis vires suas quandoq; exerunt, forti siquidem concussu humores è longinquo trahunt, ad evacuationem dispo-

nunt

nunt viis reſeratis apertisque vaſorum in ſtomacho, partis usque vicinis dehiſcentium orificiis, ut exinde bilis è maſsâ ſanguineâ plenius elutriatur, adeoque ſanguis à recrementis ſalis & ſulphuris aduſti depuretur, aliæque ſordes & recrementa foràs deturbentur.

Solemus itaque præmiſsâ Phlebotomiâ, ſi nihil aliud dehortetur, infuſionem Senn. propinare cum gran. aliquot cryſt. tartar. emet. vel Vini emet. ℥j.

Interim Patiens aperta devitabit acida, ut & quæ ad aciditatem vergunt, aut quæ facilè corrumpuntur, uti ſunt lacticinia, legumina, fructus, ſalſa, piperata, uno verbo quæcunque obſtructiones pariunt, uti & quæ materiam fermenti adaugent. Hiſce præmiſſis ſedulò cavendum ne quid contraindicet uſum corticis Peruviani aut ipſi adverſetur, adeò prius ſedentur primi febris fervores quàm ipſum oggeras, tunc enim motibus contrariis inductis diræ metaſtaſes contingunt; nec pituitoſæ ſordes in ven-

ventriculo ſtabulantes corticis particu-las oblinent aut quaſi viſco implicent, ea quippe de cauſa plurimum obtundi-tur & impeditur; & quandoque gra-viſſimæ & inſuperabiles in ventriculo maſſæ efformantur, quæ eundem ex-primentes febricitantibus vitam eripi-unt.

Corpore itaque debitè vacuato, qui-dam Paroxyſmi præterlabi ſinantur, nùm ſcil. evanuerit remiſeritque febris, ſin minus, ad uſum corticis Peruviani æ-grum deducere conveniens erit, ante-quam autem de ipſius uſu exhibendique modo dicamus, ipſius imprimis naturam, vires, variasque præparationes breviter perſtringere expedit.

A quadraginta circiter annis ex In-dia ad Europam hocce remedium trans-volavit, nihil aliud eſt quàm cortex cu-jusdam arboris in Peru naſcentis ab In-dis Kiù Kina dictæ, ab Hiſpanis verò Palo de Calenturas quaſi Lignum febri-um, ipſius enim vires jam ipſis innotue-

rant,

rant, & nonnisi ab illis apud nos ipsius usus increbuit.

Hicce autem cortex ad gustum est styptico-amarus, quòd arguit ipsum sale & terrâ abundè saturari, enim verò si analysi subjiciatur, spiritus, olei, & aquæ parvam quantitatem præbet, salis verò & terræ multum.

Datur autem aut in formâ solidâ aut in liquidâ. In formâ solidâ aut in bolo aut in extracto.

In bolo datur, miscendo ipsius pulverem tenuissimè tritum cum extracto Juniper. aut cum quodam syrupo aut conserv. v. gr. conserv. Caryophyllor. rubror. vel flor. calendulæ: ad extractum priùs elici debet tinctura cum spiritu Vini simplici aut composito, quæ ad consistentiam mellis reducatur.

Si in formâ liquidâ, vel tincturam vel infusionem parabis. Eadem tinctura, qua elicitur extractum, in quodam liquore convenienti propinabitur, prout autem magis vel minus valida exoptabitur,

bitur, plus vel minus ſpiritus vini per de-ſtillationem prolicies.

Si in infuſione, vel cum vino vel alio quodam Liquore, frigidè aut calidè, vel ſolus vel cum additamento infundetur; exemp. grat.

R. Cortic. Peruvian. ſubtiliter pulveriz. ℥jß. flor. centaur. minor. mß ſal. armoniac. vel ipſius vice Ligni Saſſafras, vel granorum Juniperi ʒij. infunde per viginti quatuor horas in lib. viij. Vin. alb. vel rubell. ſupra cineres calentes in vaſe bene obturato; Colatura ſervetur ad uſum.

Tempore vindemiarum fieri poteſt infuſio in doliolo muſto adimpleto, cujus quantitati reſpondeat pulveris Quinkin doſis ſupra dicta, ita ut pro lib. ij. ſint pulveris ʒiij, aut ℥ß. & dolium reponatur in cellâ vinariâ ad fermentationem, quâ peractâ, quod per fermentationem deperditum, vino ſuppleatur, & diligenter obturato dolio, vinum ſervetur ad uſum. Infuſio autem fiet ſimplex vel

com-

compoſita addendo nimirum centaur. min. ſal. armon. Lignum Saſſafras vel gran. Juniper. ſervata autem eadem doſi reſpectu liquoris quâ prius.

In gratiam frigidiorum regionum, quibus deeſt vinum, infuſio poteſt fieri cum cereviſia adaugendo doſin Quinkin tertiæ patris uti & aliorum ingredientium. Aliæ infuſiones parari poſſunt cum aquis ſtilatitiis febrifugis v. g. ℞. Pulver. Cortic. Peruvian. ℥j. ß. flor. centaur. minor. P. ij. aq. fænicul. ℔. ij. vel ipſius vice aq. Petroſel. vel aq. centaur. minor. omnia in vaſe circulatorio benè obturato infundantur per viginti quatuor horas lento igne in balneo arenæ ejusmodi infuſio fortior erit & acuetur cochlear. 1. ſpiritus vini aut tinctur. ipſius Quinkin. Poterit etiam infuſio fieri in ptiſanis ordinariis, aut aquâ ſimplici, ſed tunc adaugeatur doſis ipſius corticis, uti & aliorum ingredientium, fiatque in vaſis probè obturatis, & diutiùs. Eſſentiæ rerum nos latent, ita-

itaque non possumus integram notitiam istius corticis nobis comparare,quia tamen magni interest ipsius vires, inquantum nobis conceditur, dignoscere,nulla ratione magis illud assequi dabitur, quàm si febris quam cohibet aut in totum profligat, naturam examinemus, contraria siquidem opposita elucescunt magis facemque sibi invicem succendunt.

Febris nihil aliud est, quàm motus præter naturam in humoribus excitatus, qui quidem effervescentiæ seu ebullitionis ideâ clarè innotescit, jurgia autem à febre excitata, tam clarè miscelam extraneam de novo inductam, quà humores ceu œstro perciti effervescunt, arguunt, quàm tranquillitas malaciaque antecedens partium sanguinis ad invicem unionem & connubium indicabant; vel quàm certò ipsa defervescentia humoris peregrini secretionem subsequi soleat.

Quam

Quam autem in retentis ametriam pari jure evincunt ratio & ſenſus, non eadem tamen certitudine ipſorum naturam, indolem, locumque in quo congerantur, aſſequuntur. In hoc itaque dubio quidam portionem chyli in rugis ventriculi aut Pylori ad acorem deductam ſupponentes, exinde ſuccos, quotidie adventantes eadem ζυμώσ[illegible] inſpirari crediderunt, qui demùm ad ſanguinem delati ipſum labe, qua inquinantur, inficiunt, ſenſimque ad turgeſcentiam, ſuccreſcentes ſeditiones movent efferveſcentiasque excitant; fructus horrarii aliaque incongrua comeſta illud innuere videntur, uti & ingluvies & quæ demum quandoque perſonat inedia, qua febrilis fomes præſcinditur.

Qui omnes penè morboſos affectus ab alvina regione deducunt, non ſine magnâ ratione ſibi ipſis videntur cauſas febrium in hiſce locis ſedem ſuam habere, illicque affectûs febrilis mineram con-

congeri, enimverò hæc eſt ſentina, in quam ſecretæ totius corporis fæces delegantur, ideò & illic ſæpius quàm alibi penus morbificos aggeri, veroſimile eſt; Meſenterium enim, venæ lacteæ, meſaraicæ, pancreas aliæque partes quæ præcordia circumſtant, ceu angiportus in urbibus, multas emphraxes aſciſcunt, quæ ſtagnatione per partes putreſcentes, tum ſanguini jugiter tranſeunti, tum aliis ſuccis efferveſcentiam febrilem concitant, donec materiâ heterogeneâ explosâ pax & tranquillitas contingant, quæ tam diu durant, donec nova materiæ morbificæ portio vaſa ſubingreſſa novas tragœdias excitat, quæ & ſuas periodos habeant, donec planè exhauſto morbi fomite, ſymptomata emergentia evaneſcant; rationibus attexunt experientiam, quâ comperitur cathartica inprimis aut fluxus ventris ſpontè obortos iſtas febres percurare quaſi foco febrili expurgato ſuccenſi exinde igniculi extingerentur. Alii demum quod non

animadvertant promptuaria in quibus penus morbificus hoſpitetur in primâ regione, nec conſtet naturam tales focos ſibi cudiſſe in quos exportentur tales febrium mineræ, quinimò ſæpius ſaburram in alvina regione congeri, exinde, tamen nullas febres progigni, ab omni culpâ partes abdominis vindicantes omnes tragœdiæ febrilis actus in alveum ſanguinem reponunt, illosque excitari credunt vel à quadam materia heterogeneâ, quæ alicubi ſtagnatione in fermentum exaltata, fermenteſcentes expirationes in ſanguinem dimittat, vel ipſos humores à craſi degeneres ſub cujusdam materiæ heterogeneæ naturâ divortia, in humoribus excitare, efferveſcentiasque proritari, ſed quamvis diverſos focos inſtituant diſſentireque videantur, rem tamen planè eodem modo confiſciunt, in utraque nimirum ſententia ſupponunt penum morbificum non niſi certo quodam tempore fermenti naturam induere, ideoque etiam non niſi per partes

tes statisque Periodis expirationes suas prodere, quæ sanguini istas partes labefactas perluenti immissæ, humores fermentant, tanquam quid heterogeneum & aura peregrina, quæ tum primum ceu nubes agglomerata aut vapor densus & crudior spiritus obtundens frigus induit, horrores, pulsus tenorem immutat, pandiculationes, oscitationes aliaque accidentia, quæ sanguinis circuitus moram à materia condensante consequuntur, idem autem vapor eventilatus variisque subactionibus subactus æstum progignit, sicque attenuato humore demum secernitur, apyrexiaque consequitur. Cùm itaque à variis focis suppositis non variæ exin superstruantur ætiologiæ, facilè credimus nidos morbificos non solùm in diversâ regione, sed & in variis ejusdem regionis locis congeri, quæ eosdem effectus symptomataque prodant. Sed multò major difficultas occurrit in ipsius fermenti naturâ examinandâ, ipsamque exactè

& qualitates dignoscere supra mentem humanam censemus, quibus primùm sanguinem febricitantium analysi chy-
mica proliciendi in mentem venit non absonas suis experimentis de acidi prædominio rationes subministrarunt; Enim verò si talis sanguis igne urgeatur multo minorem salis volatilis quantitatem, quàm assolet, in sanis, præbet, ut exinde non incongruè concludatur, aci-
dum exaltari, quod contingit à parte volatili subjugatâ, vel exhalata, uti assolet in aceti conficiendi ratione.

Acidum fermentandi vim habere nihil magis notum, quin imò & coagu-
lationes parit, partes quas adoritur subjugat, demumque in suam naturam convertit; itaque cuivis concipere ob-
vium est acida extranea, quoquo modo progignentur, vel aliunde immissa vel in propriis conceptaculis intra corpus nostrum pronata, in producendis mor-
bosis affectibus vim & energiam insi-
gnem habere, supponatur itaque por-
tionem

tionem quandam chyli tum in ventriculi aut lactearum cellulis ad acorem coacervari, aut in quibusdam vasis sanguiferis tum primùm partes fermentescentes è foco prodeuntes alveumque sanguineum subingressæ acore suo utpote adhuc crudiores frigus, horrores inducunt, lassitudines dolorificas, respirandi difficultatem, quæ symptomata progignuntur tùm à sanguinis remora à fermento acido inductâ, tùm ab ipsius aculeis, quibus punguntur membranæ, vasaque constringuntur, fermenti autem portione subactâ pluribusque circuitibus attenuatâ sparsaque ardores, sitis, dolores capitis, motus convulsivi aliaq; symptomata superinducũtur, quod indicat majorem fermenti exaltationem, ipsumque ad ἀκρότητας evehi, usque dum tandem rarefactus humor noxius per sudores aut insensilem transpirationem discutiatur, induciæque largiantur, donec pro novo morbificæ materiæ penu novæ rixæ moveantur.

Hinc ſudores, qui acrem aut acidiuſculum odorem expirant, critici eſſe ſolent; uti & puſtulæ in labiis aut aliis locis erumpentes, arguunt enim ſecretionem humoris noxii, ideoque & ſæpius febres judicari indices ſunt.

Pro variâ iſtius fermenti indole, qualitate, exaltatione tempore quo evehitur & accreſcit, imminuitur & decreſcit aut abſumitur, uti pro vario humoris conſortio, aliiſque plurimis ipſius naturam determinantibus, variæ identidem febres ſuccreſcunt, ipſarumque typus multiformis ſuboritur, hinc enim tertianæ, quartanæ, quotidianæ, febris epiala, Lypiria, compoſitæ, ſimplices ipſaque continua, aliæque demum plurimæ, quas hic recenſere non eſt hujus loci, ſoboleſcunt.

Poſito itaque, acre aut acidum volatile & fermenteſcens febres progignere, cortex Peruvianus ſapore quo ſtypticoamarus eſt, ipſum fermentum febrile coërcere aut etiam profligare potis

potis erit, amara enim & acida bellum indixêre ſeſeque invicem deſtruunt, quà verò ſtypticus eſt, ſubadſtringit, ſicque malum humorum frænat, & partes roborat, cum autem nec uti multa alia amara viſcera irritet, neque excretionem quamvis aut moleſtiam inferat, nec uti ſtyptica multa alia, conſtipationem inducat, neceſſariò agnoſcendum illum Pulverem indolem particularem nactum eſſe, quâ nempe in hoc cortice ſalia cum terrâ ita amicè conveniunt, & tam arctè combinantur, ut ſine nexûs diſſolutione primam regionem pertranſeant, & non-niſi in fluento ſanguineo extillata diſſociationem pati, quâ tunc amara in acria aut acida vim ſuam exerant, ipſaque terra ſtypticitate ſua fermenti impetus coërceat frænetque fervores; aliàs enim amara uti colocynthis, rhabarbarum, agaricus, ſcammonium, aliaque quamplurima, ubi primùm ventriculum aut inteſtina appulerint, ſale volatili quô pollent, fibras

pungunt & irritant, altiusque in vasa immissa humorum fusiones concitant; quin etiam aliàs styptica, ubi sunt mespila, sorbus, malus cotonea, vitriolum commune aliaque quamplurima constipationem inferre nihil magis notum, cujus discriminis ratio cùm omnia styptico-amara terreo-salina supponantur, ex eo peti potest, quòd in quibusdam terreo-salinis particulæ salinæ-terreis laxè, & dissolutè alligentur, ita quidem, ut quamprimum ventriculi aut intestinorum humore diluantur, dissociatio contingat, unde si amarum præpolleat ratione suæ volatilitatis & energiæ sui juris factum quoquoversum feriat, identidem & vires promat prodatque, secus autem si caput mortuum dominium obtineat, salia sæpius innoxiè vasa transcendunt, terraque intestinorum parietibus affigitur sua stypticitate fibras coarctando, quæ ideò constipationem ponderisque sensum progignit. Horum siquidem terreæ particulæ in ventriculo

aut

aut inteſtinis remorantur, vixque venas lacteas ſubintrant, ſed trajectis per inteſtinorum foraminula minutioribus ſalinis, craſſioribus his particulis introitus denegatur. Ex his obiter notandum, dari quædam remedia verè adſtringentia dicta, quod fervores ſanguinis cohibeant fuſionesque præcaveant, quæ tamen nullatenus inteſtina coarctant, uti ſunt v. g. Succinum, Maſtiche, Olibanum, ſpecies diatragacanth. frigid. aliaque innumera; aliaque vice versâ, quæ utpote auſtera, acerba aut ſtyptica, unicè vim ſuam in viſcerum fibras exerant, quas proinde corrugando, inque ſpatium brevius contrahendo, facultatem ipſorum expultricem ſiſtant, quin imò hæc ultima ſæpius excretiones cohibendo lotium promovent. Sed cùm jam de ipſius naturâ verba fecerimus, nunc de ipſius uſu dicendum. Præmiſſis itaque Phlebotomiâ & Catharſi uti viſum fuerit, ſi febris non curetur, tempore intermiſſionis hocce remedium ogge-

rendum vel in infuſione vel in bolo, ſi in infuſione, ℥iv. ſufficient præparationis noſtræ ſuperius ſcriptæ, ſi in bolo ʒß. Tempus dandi ſit non tantùm per intermiſſionem, ſed etiam aliquandiu à paſtu; bis in die dabitur in ſimplici tertianâ & quartanâ, in aliis, ut in duplici tertianâ aut febribus ſubintrantibus, tempore remiſſionis, & opportuniùs quam occaſio morbique violentia permiſerint, quò ſæpius autem, eò minori doſi & è contra; interim non ſolùm temporis & febris, ſed & virium ætatis, habitûs, aliorumque concomitantium ratio habenda: ut autem recidiva præcaveatur, uſus continuabitur, alioquin pari ferè certitudine, qua intermittit, febris iterum recrudeſcit, itaque per octo dies plus aut minus bis in die doſes propinabuntur vel boli oggerentur, & ℥j. aut ij. debent ab ægro conſumi, ſi integram ſanationem adipiſci ſatagat; quamvis illud non abſolutè intelligi debeat, plus enim aut minus requiritur

pro

pro vario affectus febrilis tenore & sævitie. In quartanis ut recidiva præcaveatur, ipsius usus diutiùs continuabitur, quippe agnoscunt causam contumaciorem, ideoque non nisi majori vi debellandam.

Cautiones in exhibendo sint (1.) ne quid obstaculum, uti sordes in alvina regione, aut pituita in ventriculo, ipsius virtuti obsistant. (2.) Prius humorum impetus & fervores aliis præsidiis compescantur quàm oggeratur, hacce ratione præparantia, quid jam innuimus, præmitti debent. (3.) Nec sub initium nec in vigore Paroxysmi exhibendus, quippe tunc præ fervore minus spei hostem placandi affulget, sed quod magis, motus contrarii, sic inde introducti in humoribus periculum minantur; per remissionem autem uti securiùs ita certius suos effectus prodit; consultum est itaque corticis exhibitionem à paroxysmi declinatione auspicari, quia sanguis à declinatione plurimùm contra-

ctus & pacatus corticis constrictioni faciliùs paret. (4.) Doses bipartitæ & frequentiùs oggestæ faciliori negotio rem suam peragunt, quia nempe sensim fermenti vires destruendo, periculum ex contrariorum motu resultans præcavetur; quò tamen intermissio brevior fuerit, eò majori quantitate concedatur. (5.) Non statim à pastu, ne sub crudiori nec dum volatilizata eduliorum mole pereat ipsius vis & obtundatur, sed aliquandiu à pastu, quò chylo suas vires faciliùs impertiat, ipsasque ceu novum balsamum humoribus communicet. (6.) Cortex in substantiâ est quidem efficacior, sed si cacopragiæ in primâ regione suspicio adsit, tinctura saturata multoties repetita substantiæ ferè æquivalet, quia non uti Pulvis in ventriculo impeditur. (7.) In continuis sicut in intermittentibus tempus remissionis eligendum, Ptisana è cortice solo aut cum aliis in eundem scopum collimantibus parabitur pro potu ordinario.

nario. (8.) Si doſibus etiam pluries repetitis rem ſuam non aſſequatur medicus, non ideò pertinaciter inſiſtendum, quin imò ſi aliquandiu deſiſtat, iterùm oggeſtus pulvis optatos ſucceſſus adimplebit. (9.) In febribus malignis ſicut & in aliis non niſi præmiſſis præſidiis univerſalibus oggerendus, tempus quoque opportunius erit, cum natura noxii humoris ſecretionem ad cutem per exanthemata molitur. (10.) Circumciſis per pulverem paroxyſmis, vi reliquiæ febris exterminentur, imminebit recurſus, itaque ſi catharſis à corticis uſu exigatur, lenioribus catharticis cum Laudano & cortice mixtis inſtituatur; eliganturque cathartica, quæ ſuis qualitatibus quandam cum cortice convenientiam obtineant, uti ſunt Aloë, Rhabarb. ipſumque extractum colocynthidis. Cùm autem jam de ipſius corticis naturâ & uſu dixerimus, operæ pretium eſt aliquid addere de effectibus & de præſagiis ab ipſius uſu expetendis. 1. Qui

à febris incurſibus longiorem feriationem expetunt, pulverem hunc crebriori vice aſſumere jubentur, fugatis nimirum à cortice paroxyſmis, ſi ejus uſus non continuabitur, morbus poſt aliquot ſeptimanas ut plurimum recrudeſcit. Quàm citò enim ejus vis abſumitur, & particulæ omnes à mixtione ſanguinis avolarunt, affectus pro tempore ſolùm ſuppreſſus, denuò emergit. 2. Cathartica vehementiora, aut emetica recidivam minantur, enim verò impreſſiones factas deſtruunt. 3. Periculoſus eſt ipſius uſus ſi fervores adſint, in cauſo & continuis ardentibus. 4. Si ab ejus uſu proximus paroxyſmus immutetur, vel imminuatur, aut intendatur, ſolutionem prænuntiat, ſin minus eundem tenorem teneat, conſecutionem portendit. 5. Non ſolum diaphoreſin parit, verum lotium & ſudores & quandoque ventris fluxum, quæ ſi contigerint, febris ſolutionem præſagiunt.

Quam-

Quamvis autem hujus corticis ufus à prudenti medico fub cautionibus fuperius præfcriptis laudabiles fuos effectus prodat, ita quidem ut jure inter febrifuga palmam præripiat; non desunt tamen qui non folùm ipfius ufum verentur, verùm & refpuunt, eò quòd non debellet hoftem, verùm & ipfum duntaxat fopiat, qui ideò cunctando vires fumens crudeliùs in pofterùm fæviat & debacchetur, ut qui fcilicet ulceri cavo denuò erupturo cicatricem inducat. Hinc itaque cachexiam & hydropem exoriri contendunt. Verùm experientia huic objectioni in totum refragatur, quippe quotidie quamplurimos videre licet ab hoc pulvere optimè percuratos, qui nullatenus tamen tales affectus incurrunt, quamvis etiam nec catharticis aut aliis præfidiis tales eventus præcaverint; Experientiæ ratio fuffragatur, quæ enim funt actu amara, in fupprimendis fermentorum præternaturalium viribus

maxi-

maximâ virtute pollent; quin imò radix gentianæ, quæ optimè hunc corticem ſimilat, olim pro curatione febrium quartanarum celeberrimi erat uſus; Modus autem quo agat in fermentum febrile non adeò innoteſcit, ut quiſpiam aſſeverare poſſit, penum morbificum ab ipſo pulvere intercludi & quaſi compedibus ligari, ut exinde ſolutis vinculis tantum pertimeſcat periculum, nec enim tam exactè, uti prius innui, nobis ob oculos ponitur ipſius eſſentia, ut de ipſius virtute & qualitatibus dignoſcendis tam confidenter arrogemus; Interim ſi ab effectibus ad cauſas aſcendamus, dicemus materiam morbificam non tam incatenari quam reſerari, ipſumque fermentum non tam ſopiri quàm expandi & rarefieri, enim verò diapnoem promovet, ſudores prolicit, urinam ciet & quandoque ventris fluxum propriat; & quid nonne amara diſcutiunt & abſtergunt. Adhæc fermentum febrile non tanta forſan molis

eſt

eſt ut non niſi majoribus evacuationibus elutrietur; nonne parvæ puſtulæ, exanthemata, furunculi, aut alia per cutem erumpentia diros affectus, violentasque febres ſolvunt & perfectè judicant? Sed quod magis, undenam eſt, quæſo, quòd magnis evacuationibus, ſæpiùsque repetitis tantùm confidamus; quàm enim ſæpius inutiles ne dicam noxiæ, norunt Practici, ita quidem ut ſi inter iſtius corticis & catharticorum majorum vel etiam mediocrium ſæpius repetitorum uſum comparationem inſtituas plus periculi majoresque noxas ab iſtis quàm ab illo impendere comperias; infirmantur enim vires, frangitur ſtomachi tonus, ex quo novus humorum cumulus ſuperinducitur, unde & cachexiæ aliique affectus ſoboleſcunt; è contra ex iſto pulvere ſymptomata crudeliora evaneſcunt, vires labefactatæ inſtaurantur, ſenſimque æger ſanitatem recuperat; ſed ſi ab iſtius corticis, uti ſupponunt, coarctatione graves affe-

ctus

ctus suboriri censeant quidam, alii non cum minori fiduciâ querelas movent contra calores, quos inducit; ita quidem ut sit prioribus mixti stypticitas suspecta fuerit, isti amaritudinem pertimescant: secundùm enim Physicos, amara, salsa & acria sunt calida; austera, acerba, styptica sunt frigida, pinguia verò, dulcia, oleaginosa temperata; ex hoc itaque supposito calores præternaturales induci, humores aduri, cum magno strepitu eventilant: sed huic objectioni non minus refragatur experientia quàm priori, ipsaque ratio contra allegata contrarium evincit: uti enim intimâ partium mixti unione stypticitatis damna alioquin nocitura ipsius amaritudine præcaventur, sic & hujus noxæ alioquin metuendæ ab alterius qualitate emendantur, quod exinde evidentius patescit, quod uti prius innuimus, non uti multa laxè mixta à se invicem dissocientur, ubi primam regionem perlustrarunt, quin imò uti arctiori nexu conjunctæ invicem mixti parti-

culæ

culæ junctis viribus ſuos effectus producunt promuntque; ſed ne hîc cantilenam recantemus, viresque amari in fermento extraneo recolamus, experientiâ duce ſufficiat in noſtras partes antiquitatem revocare, quo multa amara uſurpavit ad febrium curationem, uti centaurium minus, cichorium ſylveſtre, Abſynth. Camhædryn, flores Chamæmel. aliaque quam plurima, iſta quippe agitationes quidem & motus extraneos in humoribus ſuſcitant, ſed quibus fermentum febrile diſcutiatur, utque clavus clavum trudit, & nova fermentatio inducta prius inſitam debellat & deſtruit.

(o)